



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Julii. Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est. S.
August. de grat. Christi. c.25.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

I. DIES JULII.

Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est. *S. August. de grat. Christi. c. 25.*

Boni natura I.

HActenus Mali indolem, genus, naturam, & quæ ex Malo oriuntur, vitiorum lineamenta graphicè expressimus; ut primum illud Davidici consilii membrum observarem: *(a) Declina à malo.* Sequitur jam alterum: *Et fac bonum.* Speciosa hæc erit ut relatus, sic & lectu materia. Primum, hæc est omnibus communis lex; quod bonum sit appetendum; contra, malum fugiendum. At, quia bonum est in convenienti; & aliquod est proprium singulis speciebus, objectis potentias, potentiis organa, utriusque certas actiones certis inclusas limitibus, sapiens natura contemperavit. Uniformis, est primi mobilis motus, omnes secum rapiens cælos, singulis tamen Planetis, & octavæ Spheræ suus singularis est, quem nunquam desinente cursu à momento suæ creationis sequuti sunt, & in posterum sequentur. Sic autem omnes cæli moventur à primo mobili; sic quisquis agit, quod bonum est; ab illo agitur, qui bonus est: ille, qui est summum Bonum, efficit, ut omnia appetant bonum; sed singulæ species suum Jus est, & bonum, piscibus in aquis degere, avibus in aere; quadrupedibus, in terra.

II. A-

(a) Psal. 36. 27.

II. Amoris divini facultatem ad extra, D. Dionysius (a) exprimit per circulum boni; qui à bono per bonum procedens ad extremum eorum, quæ existunt, in bonum revolvitur. Hoc boni si longè diffundentis progressu sit longa series graduum, qui à supremo, & illi vicinioribus sensim recedentes, tandem fiunt oppositi: sic inter diversos, diversissimi, Deus infinitus est circulus, in quo, quia nihil nisi infinitum, diameter, erit centrum, & circumferentia, omnis diversitas, identitas; omnis duratio, æternitas; omnis discretio, simplicitas; omnis motus, quies; omnis inæqualitas, æqualitas; maximum, in quo concidit minimum; quia diversitas complicata, identitati complicanti non opponitur; omnia complicans, quia in eo omnia; omnia explicans, quia ipse in omnibus. Nullum itaque est magis alienum, aut publicum bonum, quàm Bonitas; quia est omnium, & pro omnibus: quapropter Bonitas, est census publicus, alienum bonum. Res omnium, non sui solius patitur esse. Bonitas est, quæ sufficit sibi; imò est insuper, quæ sufficit omnibus. Parum adhuc dixi: non tantum est, quæ nullius eget; sed cuius omnia egent. Deo egemus, non tantum ut simus, sed ut benè simus.

III. Bona autem omnia hæc creata, quæ sunt extrà summum Bonum; literæ sunt desuper ad nos missæ, in quibus, qui cæcus non est, legere poterit Bonitatem Dei. Quæcumque igitur, cœli, & terræ ambitu continentur; quæcumque à summo Opifice vel dantur, vel auferuntur; literæ sunt, quæ nos vel à vitiis extrahunt, vel ad virtutes trahunt; vel ter-

rendo

(a) De divin. Nom. c. 4.

tendo monent, vel monendo frœnant, vel frœnando retrahunt à malo, vel retrahendo à malo urgent, incitant, impellunt ad omnia bona. Quid igitur facilius, quàm facere bonum? Hic tantùm adhibenda est cautela, ne confundamus bona, & mala. Anxia res est humanorum conditio bonorum; & quæ nunquam vel tota proveniat, vel nunquam perpetuò claret; inest singulis, quod inexpertus ignoret, expertus horreat. Nihil mortalibus bonis, est immortale, volvunt humana vices crebræ, & omnium rerum fuga fit. Videre licet magna gaudia ex insignibus malis; & immensa mala ex inagentibus gaudiis. Quid stupes? Hæc est inferiorum conditio, sic ad tempus quiescere, sic moveri, pompa est; ostenduntur istæ res, non possidentur; dum placent, transeunt. Cùm igitur hæc sit mortalis hujus vitæ fors; ut mala bonis, zizania tritico; lolia liliis, mœsta lætis; tineæ floribus intermisceantur: unum superest remedium, separare pretiosum à vili, mundum ab emundo, lucem à tenebris, bona à malis. In quo negotio, nostra posthac sudabit industria, cùm juxtà Poëtam:

Sunt bona mixta malis; sunt mala mixta bonis.

2. DIES JULII.

Quidquid magnum sub Deo, illud minus est Virgine. *S. Anselm. de Excel. B. V.*